20.
S.1

DE

PODAGRAE PROPHYLAXI

TENTAMEN INAUGURALE

QUOD

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI SAPIENTISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI RECTORIS

PERILLUSTRIS FACULTATIS MEDICAE P. DIRECTORIS

SPECTABILIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

BARTHOLOMAEO PANIZZA

ANATOMIAE HUMANAE P. O.

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE CAPESSENDAM

IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Augusti Ann. MDCCCXXXIV

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTEBAT

ALOYSIUS BUSTINI

MANTUANUS

CHIRURG. DOCTOR ATQUE ARTIS OBSTET. MAGISTER

—o—

TICINI REGII

Ex Typ. P. Bizzoni

I. R. Universitatis Typograph.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PODAGRAE PROPHYLAXI.

Equitatio magis quam omnes reliquae exercitationes corpus a podagra praeservat.
Oribasius lib. IV.

Nihil naturae humanae est infestius, nihil intollerabilius, quam diros ac diuturnos substinere dolores et cruciatus, quorum tanta saepe est ferocia, ut haud raro ipsam mentem ejusque functiones gravissime perturbent. Inter eos qui atrocia sua corpus humanum valde afficiunt, jure meritoque debet referri dolor ille, qui pedum maxime torquet articulos, et medicis *Podagra* appellatur. Haec autem cum ejus sit indolis ac naturae, ut divites magis, et praecipue dignitatis viros, quam pauperes et plebejos invadere soleat: ad eam tum leniendam, tum praecavendam ac persanandam, ab omni tempore multa et varia quaesita et desiderata, imo a peritissimis in arte viris excogitata sunt remediorum genera, quae tamen fere omnia, nisi verum dissimulare velimus, ita sunt comparata, ut spem quam aegrotantibus excitant, plerumque fallant expectationique minime respondeant. Quod vero ii, quorum artus crebrius hic dolor infestat, aegerrime pristinam

Digitized by Google

sanitatem recuperent, id nostra quidem sententia partim medentium imperitiae, partim etiam ipsis aegrotantibus debet adscribi. Hi enim consiliis medicorum minus obtemperantes, variaque et saepe inepta auxilia proprio ausu adhibentes, sibi ipsis plus saepe obsunt quam prosunt. Medicorum autem imperitia his se signis potissimum prodit, quod primo plus ad curationem, quam praeservationem hujus mali animum advertant; deinde quod remediis non lenioribus, temperatis, diaeteticis et sic dictis Galenicis simplicissimis, sed pharmaceuticis potius, generosis, vel specificis, arcanis, empirismo addicti, hostem hunc oppugnare contendant; cui tandem tertius accedit error, qui in eo consistit, quod in ipsa curatione, ad leniendos dolores, remediis tam internis quam externis plerumque intempestive utantur, motumque febrilem sistendo, crises praepediant, et vitiosam materiam e corpore expellendam vel intra corpus retineant, vel ex partibus exterioribus ad interiores magno cum sanitatis detrimento repellant, neque virium conditione rite investigata, in ipsam certent, et curam potius symptomaticam faciant. Cum insuper natura benigna motu salutari febrile critico, materiam impuram ac sanitati maxime infensam, extra sphaeram corporis, per cutis potissimum spiracula excludere allaboret: nullo

sane modo hanc saluberrimam naturae intentionem medicus debet impedire, vel praemature sistere, sed omni potius studio ipsam, prudenter, et circumspecte adjuvare: id quod per remedia blanda diaphoretica, diluentia, et vires exorbitantes temperantia, quorum beneficio successu temporis per liberiorem transpirationem vires corriguntur, doloresque componuntur, quam optime perficitur, omissis quotquot fere sunt externis ac topicis, quae ut plurimum plus nocent quam prosunt, vel saltem magnam in applicatione prudentiam requirunt. Et ut breviter indicem, quid tota res sit, id tantum in potestate medici positum esse judico, ut, nisi malum nimis sit inveteratum, haereditarium, corporisque natura cum viribus plane dejecta, molestissimum podagrae affectum praecavere possit ac mitigare. Quo autem modo haec cura praeservatoria recta ratione, et quidem non magno medicamentorum specificorum apparatu, sed paucis simplicibus et diaeteticis sit instituenda ac perficienda, hoc specimine inaugurali paullo fusius ac curatius exponere constituimus. » Ut omnia candide legantur, et » defectus in materia non tam reprehendantur, » quam novis lectorum conatibus investigentur » et benigne suppleantur, enixe rogamus » (1).

---

(1) *Newton Praef. Philosophiae Natur. principia mathemat.*

S.86

Cum eo potissimum nostra directa sit intentio, ut curam contra hunc affectum tutoriam proponamus, supervacaneum judico historiam morbi et formalem, in qua consistat, rationem prolixius exponere, cum satis jam et abunde in scriptis medicorum acta sit et pertractata. Sed cum praeservare a morbo nobis nihil aliud videatur, quam causas remotas, quae conjunctim sumptae ad proximam et formalem immediatam progignendam contribuunt, inquirere, et idonea ad eas removendas remedia praescribere ac commendare: maxime omnium nostra opera et meditatio ad antecedentes et mediatas doloris arthritici, et podagrici causas erit dirigenda. Et primo quidem in hac causarum sibi invicem succedentium serie exponenda, animadvertimus, viros magis quam foeminas, eosque facile omnes, qui temperamento sic dicto sanguineo, vel sanguineo-cholerico donati sunt, diro huic morbo esse obnoxios; deinde attenta docet experientia, illos viros et juvenes, qui victu lauto utuntur, multumque appetunt nec exercitiis corporis gravioribus adsueti, in dulci otio vivunt et voluptatibus se dedunt, frequentius ab hoc dolorifico morbo conflictari: increscit enim sub tali corporis constitutione, et perverso vitae generae nimia sanguinis et humorum copia, quae ingentem ad hunc morbum inducendum

obtinet potentiam. Quod si enim plus sanguinis adest, quam natura sufferre queat, talis adducitur in organismum pathologica conditio, quae materialem paroxismi podagrici constituit causam.

Neque illud reticendum est et Venere et Baccho qui immoderatius utuntur, eos quam facile fieri podagricos: nam nimia seminis, seu delibatissimi humoris, emissione solidarum partium vis motrix minuitur, et debita fluidorum temperies valde immutatur. Largiori vero vinorum praesertim acidorum potu materia, ingeneratur tartarea quae si per renum emunctorium non egeritur, motu saepe critico ad partes externas transfertur, tumores tophaceos in pedibus plerumque producens, quod podagricis obvium. Praeterea et id multiplici constat observatione, eos praesertim qui in adolescentia sanguinis per nares frequentia habuerunt profluvia, et defluxiones catarrhales; item qui in juvenili aetate sputo cruento et pectoris affectibus; in virili moliminibus haemorrhoidalibus laborarunt, facile dein aetate procedente podagram incurrere et arthritidem; idque eo magis si fluxus iste praepostere supprimitur, aut aliis de causis retinetur.

Tum quoque inter causas remotas jure referri debet, quod ii, qui a parentibus prognati sunt podagricis vel arthriticis, in hunc mor-

tur potentiae, pressio ac strictura vasorum prae aliis ex calceis: quamque conditionem varices, et erysipelatis frequentia toto vindicat marte.

Exploratis sic genuinis doloris podagrici causis, et generatione, proximum nunc est; ut dispiciamus, qua methodo quibusque remediis ad dolorificam hanc passionem levandam et praecavendam, seu potius ad proximam ejus causam praescindendam prudens medicus uti debeat. Cum vero supra abunde satis a nobis indigitatum et in vulgus usque notum sit, eos praecipue homines qui propter vividiorem appetitum, et nimiam ciborum valde nutrientium voracitatem, magnam sanguinis et humorum copiam in corpore colligunt, podagrae esse obnoxios: nihil omnino prius nihil posterius habere debet medicus de aegrotantium salute vere sollicitus, quam ut plethoram apta ratione minuat. Jam vero ad hanc, tum curandi tum praeservandi fine subtrahendam, nullum melius nec praesentius extat remedium, praeter convenientes et pro subjecti ratione prudenter instituendas sanguinis missiones; quas inter primum tenent locum venarum sive brachii sive pedis sectiones. Et hac in re non modo experientiam, optimam rerum medicarum magistram, verum etiam venerandam antiquitatem habemus suffragantem. Ita Celsus de eximio venae sectio-

nis contra podagram usu eleganter tradit lib. IV. cap. 24. = *Ubi sentire coeperunt dolorem articulorum, sanguis mittendus est: id enim inter initia statim factum saepe annuam, nonnumquam perpetuam valetudinem praestat.* = Nec Hippocrates ab hac sententia videtur alienus, dum idem remedium nullo fere in morbo graviori et diuturno intermittendum esse statuit. Nec ego quemquam facile inter recentiores medicos solidis in arte fundamentis instructos et praxeos exercitia his superstruentes, esse confido, qui hoc divino summaeque virtutis remedio in podagrae affectu carere nos posse adserat, ut potius istud ceu probatum, et praestantissimum auxilium in scriptis suis celebret atque commendet.

Sicut vero nullum tam excellens datur remedium, quod non perverso usu possit nocere: ita de recta venae sectionis in nostro affectu administratione varias observare decet cautelas; quarum praecipuae sunt, ut primo omnium medicus individua probe inter se distinguat, et rectam adipiscatur ideam conditionis morbi phlogisticae, hujusque gradus. Neque silentio est concedenda anni tempestas: qua respecta, non sine fundata ratione venae sectiones commendandae sunt vernales et autumnales, quia his anni conversionibus arthritidis et podagrae frequentiores solent esse in-

sultus. Neque interdum fructu suo caret si in iis qui ad talem morbum proclives existunt, eumque jam aliquoties experti sunt, sanguinis missio brevi ante paroxismi consueti impetum instituitur, quia hac ratione persaepe efficitur, ut morbi podagrici brevior et felicior sit decursus. Denique, cum in certis subjectis non parum intersit, quo ex loco sanguis mittatur, in brachio rectius an in pede, dicam hac de re breviter quid sentiam. Si quis haemorrhoidum fluxui assuetus, hoc cessante vel ad tempus silente, variis pathematibus ad podagrae genesim tendentibus affligitur, optime confert instituta venae in pede sectio, vel hyrudinum ad venas sedales applicatio, quia reseratis haemorrhoidibus pessima symptomata vel prorsus expirant, vel multum saltem mitigantur. Contra vero qui ad haemorrhagicam hanc affectionem a natura minus dispositi, molimina ad eandem et in locis inferioribus, maximeque pedibus molestias quasdam sentiunt, in iis sanguinis e vena brachii missio saepe non sine fructu admittttur.

Alter sanguinis redundantiam imminuendi modus est scarificatio: in qua commendanda licet alioquin multi sint tum veteres tum recentiores rerum medicarum scriptores: valde tamen mirandum est, quod de speciali ejus in podagra usu tam raram faciant mentionem,

Digitized by Google

quamquam omnino non desint, qui eam praescripserint. Ita ex antiquioribus allegare lubet Celsum, qui lib. II. cap. 10. praeclare disserit = *Usus cucurbitulae praecipuus est, ubi non in toto corpore sed in aliqua parte vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est.* = Et lib. II. cap. 2. = *Opus esse cucurbitula potest in morbis longis quamvis et iis jam spatium aliquod accessit. Idque auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum neque unquam periculosum est, etiamsi in medio febris impetu, etiamsi in crudilate adhibeatur.* = Platerus lib. II. Prax. med. scarificationis in planta pedum institutae utilitatem, exemplis hac methodo curatorum variis comprobavit, quam sententiam etiam fovet Hofmannus, qui singulis trimestribus cucurbitas dorso pedis applicandas longa edoctus experientia suadet. Hocce remedio commode humorum stagnationes in pedibus prohibentur, atque venaesectioni nonnunquam anteponendum esse censemus, in iis praesertim, in quibus systema venosum summopere evolutum est, et qui ad sanguinis in pedibus stagnationem sunt dispositi.

Quamvis vero sanguinis imminutioni dicata remedia, eximium in dolore articulari tam praecavendo quam mitigando praestent emolumentum, minime tamen vel raro ipsa

sola sufficere ex penitiori podagrae considerationе elucet: quandoquidem tantum palliativam seu temporariam afferunt opem, ipsam vero causam quae sanguinis acumulationi favet, minime demunt. Multo magis origo mali, quae in vivendi regimine quaerenda est, debet praescindi. Ab intemperantia enim in victu, ut supra demonstratum dedimus, oritur plethora, a qua dein facilis ad podagram fit transitus. Quicumque itaque vitam a podagra immunem servare, vel ejus accessiones avertere, vel minimum has mitigare intendit, is temperet sibi ante omnia a multa ciborum copia, certisque temporibus cura utatur per abstinentiam, sive inediam. Etenim testantur medicorum, qui posteritati monumenta reliquerunt, observationes, plures summe podagricos sola temperantia et abstinentia a victus plenitudine fuisse restitutos. Ita Valesius exemplum allegat viri, qui quotiescumque paroxismum imminere suspicatus est, ab omni cibo et potu abstinuit, morbumque ita declinavit. Simile quid adnotavit Rhodigin, ubi quosdam morbo articulari laborantes bonorum ciborum et lauti victus abstinentia, ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos convaluisse refert. Ac certe singularis, fereque divina, uti in plurimis morbis, ita speciatim in podagra inediae est energia: siquidem egregie virium modera-

men comparat, cum materialia sic dicta nutritionis auferat, et viribus compositis, pathologica podagrae conquiescit conditio. Unde rectissime mihi judicasse videtur Fernelius, cum consueti cibi ac potus dimidium in podagra circumcidendum praecipit, imo famem quandoque tolerare bonum judicat.

At vero, non sola ciborum quantitas, verum etiam nimium diversa ipsorum qualitas podagra vexatis admodum est infensa. Cujus rei testem cito gravissimum Sydenhamium, qui in tractatu de Podagra egregie scribit = *Unica ciborum specie singulis pastibus vescendum arbitror, cum varia carnium genera simul ingesta, plus ventriculo molestiae facessunt, quam unicum, quod omnia ista quantitate exaequat.* = Idem optime docet Fortis, qui = *Varietas*, inquit, *ciborum tanquam pestis podagricis fugienda, minus enim malorum simplicitas nocet, quam bonorum multiplicitas; simplex itaque cibus est non solum ut unus, verum et a condimentis immunis.* = Ut vero clarius cuique pateat, quinam selectus ciborum sit habendus: has quae sequuntur praescribere placet regulas diaeteticas: abstineant quam maxime podagra tentati plethorici, a carnibus praesertim animalium adultiorum elixatis, a cibis nimium pinguibus, jusculis alimentosis, placentis et aliis ex lacte, ovis, saccharo et farina triticea

paratis, quippe quae ita sunt comparata, ut nimium humorum gelatinosorum accumulent quantitatem. Praestat potiis iis uti cibis, qui levioris sunt materiae et facilioris concoctionis, ut sunt carnes juniorum animantium assatae, ex quibus etiam commode paravi possunt juscula, additis simul radicibus et herbis, ut nasturtio aquatico, radice graminis, asparagi, apii graveolenti, petroselini, herbae lactucae, endiviae, et hujus generis aliis. Denique panis omnium optimus est bis coctus, longeque salubrior, quam quidem recens observatur.

Praeterea inter praesidia tum curandae tum praecavendae podagrae plurimum sibi vindicat motus et debita corporis exercitatio, cujus eximia utilitate Hippocrates permotus = *labores podagricis magnopere commendat.* = Nec quisquam fere arti Hippocraticae addictus est, qui aliter sentiret. Ex innumeris allegasse sufficiat Mercurialem, qui ad robur membris conciliandum valdopere motum extollit his verbis = *Quanto plus exercentur podagrici, tanto majus robur acquirunt; et quo magis vacant, eo magis flaccescunt et solvuntur eorum vires.* = Quum vero variae dentur motuum instituendorum species, videamus quaenam ex iis congrua podagricis aestimari possit, quae minus. Baglivius quidem podagricos, si aliter exerceri

non possent, voce, scilicet vel libros recitando, vel cum amicis colloquendo, vel canendo exerceri jubet: majorem tamen usum praestare videtur motus corporis vectione institutus, quem etiam Syndenhamius ipso in paroxismo suadere non veretur = *Quamlibet*, inquit, *in paroxismi initio aegro impossibile videatur, ut lationem in curru, multo minus ejus motum ferre queat: attamen si id tentaverit, non ita diu post sentiet, se minus a tali motu dolere quam cum se in cathedra domi contineret.* Omni vero motus generi nonnulli eruditissimorum medicorum praeferre sustinent equitationem, nec sine ratione insignique emolumento. Sic primus fere omnium Oribasius magnas sanandi partes equitationi in multis morbis et speciatim in podagra tribuit, dum = *Equitatio*, inquit, *magis quam omnes reliquae exercitationes, corpus a podagra praeservat.* = Cui assentitur laudatus Sydenhamius, qui ceu arcanum ad podagram subjugandam remedium, equitationem depredicat his verbis: *sane diu multumque mecum reputavi, quod si cui innotesceret medicamentum, quod et celare vellet, atque efficax in hoc morbo, ut in chronicis plerisque, esset equitatio constans et assidua.*

Ut nostram interponamus sententiam, vera omnino esse judicamus, quae in medicorum scholis de corporis exercitatione in chronicis

passionibus frequenter suscipienda praeclare docentur. Nam cum vita, sanitas, et omnes, quae inde pendent functiones, unice a motu, fluida inter et solida vigente, sartae tectaeque conserventur, hic autem a decenti corporis exercitio mirum adjuvetur; in aprico est quantum in morbis; qui a deficiente solidorum ac fluidorum inter se actione ac reactione pendent, conducat motione ac labore decenter uti. Ne cui vero in adhibendo exercitationis remedio, vel minima delinquendi supersit occasio, monita quaedam valde necessaria observanda arbitror. Ita cujusvis aegrotantis naturae et viribus accommodatus instituatur motus. Dein optime suscipitur mane aliquot horas ante prandium; et sub serena coeli temperie.

Permultum quoque interest ad dolorem podagricis solemnem praecavendum et abigendum decernere, quo quis potus genere utatur; siquidem satis constat, podagram inter alia potissimum a perverso potulentorum usu sua ducere incunabula. Exemplo sunt strenui vinorum potatores, qui intemperantia sua, non modo graves articulorum morbos sibi contrahunt, verum etiam ab illis, nisi in tempore sobrietati studeant, difficulter admodum, imo plane nunquam liberantur; sicut e contrario variae auctorum observationes fidem faciunt, multos arthritide vexatos sola vinorum absti-

nentia, exoptatae sanitati fuisse redditos. Ex innumeris, quae hoc probare possent, adducere placet casum imprimis notabilem, quem habet Trincavellius; se novisse, dicit, medicum Venetiis, qui cum non parum infestaretur a podagra, vinique potum intermisisset, liber tandem ab omnibus iis molestiis ita evaserit, ut deinceps usque ad ultimum senium, imo ad mortem, horum dolorum expers fuerit. Si quis igitur dirum hunc affectum praecavere vel praesentem mitigare prorsusque debellare cogitat, abstineat omnium maxime a vinis sive dulcibus sive spirituoso-acidis, vel magna tartari copia foetis: fugiat quoque spiritus ardentes sive vina adusta, et cerevisias valde saturatas multumque alimenti suppeditantes. Vinum vero specialius quod attinet, quamvis podagricis ut plurimum observetur infensum, potest tamen tuto admitti in subjectis ventriculi et intestinorum quadam imbecillitate laborantibus, quorum vires modice sumptum egregie saepe restaurat. Neque dein iis vini usus plenarie est interdicendus, qui vel a prima infantia eidem adsueverunt, vel minus inde incommodi sentiunt, hac tamen observata cautela, ut vinum seligatur bonae notae, et cujusvis naturae appropriatum; a quo eo minus damni pertimescendum est, si cum sufficienti aquae portione remixtum dilutumque fuerit.

Exploratis potuum generibus, quae plerumque nocivae sunt indolis, disquirendum nunc est quinam potus podagricis magis conveniat, et tuto a medico commendari possit. Aptissimus autem omnium jure censendus est potus aquae perfrigidae, cui veteres medicorum antistites Hippocrates, Galenus, Celsus pluresque alii summas in morbis tam acutis quam chronicis persanandis tribuerunt virtutes, ejusque usum potissimum in gravioribus leniendis extremarum partium affectionibus, quales speciatim sunt arthritides, contracturae, exulcerationes, et sic porro maximo cum aegrotantium levamine commendarunt. Nec recentioribus probe in arte versatis medicis obscurum est, quanti referat in podagra aqua decenter uti; unde Burserius lib. XVI. cap. 3. *De re cibaria* rite scribit = *Annotatum est eos, qui inter initia podagrae dolorisque articulorum, vini potum subtrahunt, et ad aquam confugiunt, magnificum sentire praesidium ac pene divinum: imo fere compertum est aquae potatores raro aut nunquam podragricos aut chiragricos effici.* = Ac certe aqua pura, frigida, ex fonte recens hausta, singulis tum praeservandi, tum curandi doloris podagrici indicationibus ex voto satisfacit. Quod si vero aquae ejusmodi purae ac levioris fontanae deficit copia, pluviatiles post copiosas imbres collectae et clariores in

570

vaso redditae in usum vocari possunt. Verum, si ventriculus cerevisiae vel vino diutius adsuetus talem potum plane renueret pejusque inde haberet, aquam cum speciebus sapori aeque ac naturae amicis et medicinali adversus podagram virtute instructis decoquere praestat. Percommode autem huic usui inserviunt varia ex vegetali regno desumpta simplicia, ut radices scorzonerae, sarsaparillae, polipodii, liquiritiae, cortices lignorum sassafras fraxini nec non avena, et hordeum.

De potuum calidorum usu non est, quod plura commemoremus, cum apud plurimas gentes Theae, et Coffeae potus adeo sit solemnis, ut singulari commendatione opus non habeat. Neque calida ejusmodi infusa quatenus deprimenti pollent virtute et cutaneam perspirationem promovent, suo destituuntur effectu, sed potius in plurimis chronicis affectionibus adeoque etiam in podagra magnam merentur laudem: unde etiam Baglivius egregiam in medendo virtutem iisdem tribuit, et Zechius vel solam aquam simplicem ad libram circiter unam ante prandium calide haustam, pro secreto adversum podagram remedio habuit. Ast sane cavendum omnino est ne in excessu delinquamus. Prius insuper quam ulterius progrediamur, paucis indicandum arbitror nullum esse potus genus, quod in podagrae affectu

tum praeservatoria tum curatoria intentione certiorem ac efficaciorem exerat virtutem quam aquae minerales, quas inter Selteranas ob temperatiorem indolem suam, omnibus reliquis praeferendas et commendandas existimo. Et reapse ab illo ipso tempore, quo ad medicum usum traductae fuere se sua in difficillimis morbis utilitate ita probarunt, ut non modo in universa Germania sint celebratissimae, sed in nostras et dissitas quidem regiones devectae utiliter adhibeantur.

Hactenus dicta, quae curam per inediam maxime respiciunt et rectam podagrae tractationem absolvunt in subjectis plethoricis et virium conditione hyperstenica donatis, neutiquam convenire queunt ubi agatur de podagra evoluta in subjectis cachecticis et prava dyscrasia aliqua inquinatis et abusu vel Veneris vel Bacci infirmis. In hisce plurimum sunt vires summopere labefactatae; et medicus eo contendat fas est, ut vires reficiat et humores corrigat. Hisce enim in casibus prae localitate generalis virium conditionis respectus habeatur opportet. Tum longe alia ineunda est curationis methodus, quae vires restauret et dyscrasias corrigat. Quod quidem optime perficitur per remedia blanda, demulcentia, nutrientia et deperditum vigorem restituentia: inter quae principem sibi locum vindicat con-

veniens lactis, praesertim asinini, usus: hoc enim, uti domesticum lenissimum et antiquissimum est remedium, ita omnibus tantopere alias commendatis jure meritoque est praeferendum: qua in re praecipuae tum veteres tum recentiores medicinae scriptores; ex quibus probatissimos tantum adducere placet, consentiunt. Ita praeclare de lacte asinino sentit Hippocrates dum *Lib. de articul.* ait = *Lac asininum duas affert opportunitates ad podagrae curationem necessarias, neoterismum, et epicrasin: et illud quidem quia viscera temperat, et ad temperamenti et complexionis mediocritatem revocat.* = Hujus auctoritatem secuti sunt ii, quos postera aetas tulit, medici. Hinc Celsus lib. IV. cap. 24. scripsit = *Quidam cum asinino lacte poto ex toto se aluissent, in perpetuum hoc malum* (de quo agimus) *evaserunt.* = Quo cum consentit Galenus asserens lactis asinini potatores, excrementis expurgatis, a cruciatu arthritico immunes reddi. Lactis asinini effectus in podagra mentionem quoque facit Plinius lib. 28. Recentiorum auctorum quoad lactis usum sententias hoc loco accumulare supervacaneum esse arbitror, cum excellens lactis in medendo usus per se satis sit perspicuus, ita ut adserere nullus dubitem, nonnullos vel solius lactis cura a truculento podagrae morbo posse liberari, et ad senium

feliciùs perduci: cujus rei varia perlegenda sunt exempla apud Hoffmannum. Praeter lac vero ejus quoque serum praestantissimas juvandi continet facultates imo nonnunquam quibusdam subjectis et maxime iis qui hypochondriasin cum podagra conjunctam habent, magnamque acidi copiam imprimis viis continent, tutius adhuc praescribitur quam lac ipsum.

Haec itaque sunt quae de cura doloris podagrici praeservatoria proponere voluimus remedia: quae ut ut videantur simplicissima, naturae tamen humanae apprime sunt congrua morbique causis removendis aptissima, si debita ratione debitoque ordine adhibentur; et iterum iternmque injungimus, ut talis remediorum commendatorum habeatur selectus, qualem observandum monstravimus.

Enim vero, adhuc aliae dantur cautelae, ad rectum vitae genus necessariae, quas brevibus jam tradere consultum ducimus. Maxime autem omnium, praeter debitam corporis exercitationem et in cibo potibusque spirituosis temperantiam, moderamen in venere commendandum est. Namque crebrior cum foemina cohabitatio, dum nobilissimum subtrahit humorem, corpus imbecillum reddit, et in multis praecipuam morbi podagrici caussam constituere visa est, et omnium quoque remediorum effectum pessumdare, nisi temperantius

usurpetur, vel plane omittatur. Unde rectissime mihi judicasse videtur Baglivius, qui = *Impossibile est*, inquit, *quin Venere et Baccho ad satietatem indulgentes arthritide corripiantur eaque perpetuo conflictentur.* = Quicumque igitur podagricorum bene sibi consulere cupit, pessimam coeundi consuetudinem omni studio emendet, atque copulam juxta vires ineat.

Pari propemodo ratione quaevis animi pathemata graviora justa affectuum moderatione praecavere debent arthritici, ut perite monuit Sydenhamius inquiens = *Tranquillitas omni ope stabilienda est, cum perturbationes omnes, si repagula semel effringunt, ad podagrae generationem et incrementum multum faciunt.* = Maxime autem nocet metus, tristitia, et iracundia, quae quantum in systema tum irritabile tum sensile morbose agant, satis constare arbitror. Speciatim tamen de irae affectu constat, qui prae caeteris summam nocendi potentiam obtinet. Non enim solum statim pejus inde habent podagrici, sed etiam paroxismos perferre debent longe intensiores, ac multo frequentiores, neque raro irae passio podagrae caussa existit occasionalis. Nonnulli equidem auctores irae et moeroris affectum persaepe utilem in podagra fuisse referunt, eumque artificiose in quibusdam excitare commendant; at mihi videtur quod medico sint plane indigna

hujuscemodi remedia. Nec aliter sentiendum est de frigoris ad fugandam podagram usu, de quo Pechlinus refert, fuisse Chiliarcham, qui doloribus nimis vexatus, nudis pedibus glaciem transgressus solatium palliative accepisset. Tum quoque podagricis jure commendari debet regia illa virtus patientia, qua non tantum paroxismus, si praesentitur, saepe avertitur: verum etiam si praesens est facilius toleratur: idque exemplo invictissimi Imperatoris Caroli V., quem patientia ceu anodyno in podagra usum fuisse tradunt. Et cum denique omnia remediorum effectus sit irritus, nisi quis accurate singula secundum medici praescriptum applicet; serio imperamus obedientiam strictissime medico prudenti praestandam. Qui vero dictis non obedientes genio suo indulgent, hi modo gravia ista, quae paroxismi tempore perferre tenentur, symptomata, curatius secum perpendent. Quot enim ac quanta in ferocissimo hoc affectu experiantur podagrici tormenta et cruciatus, ex allegatis causis earumque agendi modo, facili negotio colligere licet. Quippe tam exquisiti sensus partes, membranae subtilissimae, periostium, ligamenta, nervi et vascula arteriosa miserrime affliguntur: imo humor in nonnullis subjectis stagnans, tam acris et corrosivus est, ut tendines etiam et ligamenta exedat, uti Schenckius

570

ex sectionibus habet = *Quod ductibus sinubusque oblongis et angustis ita perforata arthriticorum saepe fuerint membra, ac si tineis vel xylocampis exesa fuissent.* =

Superessent quidem remedia ut emetica, laxantia, clysteres, hujusque census alia, quorum adhuc indicenda esset mentio: quibus tamen supersedemus, cum facile eorum utilitas obveniet, si observamus, quod, ventriculo et intestinis sordibus expurgatis, liberior fit sanguinis circulus. Recordanda sunt quidem vesicatoria, fonticuli, moxa indorum et alia, quae in hocce affectu optime famulari visum est. Salutarem enim inducunt revulsionem a parte nobiliori ad partem minus nobilem.

De balneorum tam naturalium quam artificialium in podagra usu commemorare placet, quod licet non omnino sint repudianda, summam tamen desiderant cautionem, nisi loco sperati auxilii damnum inde reportare velimus. In genere autem de recto balneorum adhibendi modo notandum est, quod nunquam in usum debeant vocari, nisi corpore a sordibus probe expurgato sanguinisque copia, si abundat, paulo imminuta; ut semper temperatiora applicentur, et specialis eorundem quoad individua habeatur selectus. Unicuique vero pernicies facile patet, quam ut plurimum patrant narcotica et opiata, ad quae plurimi medi-

corum iniquo fere ausu, tamquam ad sacram confugiunt anchoram, minus perpendentes infidam horum remediorum esse operationem, nisi summo cum judicio adhibeantur.

Dicendum tandem esset de aliquibus remediis, quae specificorum et antipodagricorum nomine veniunt. Perinnumera ipsa sunt; sed omnia rudi minerva excogitata, et caeco empirismo ad experientiam provocata. At vero quam inepta et vana horum remediorum sit gloriatio a Sydenhamio docetur, qui ingeniose scribit = *Si quis objiciat, multa esse remedia specifica ad podagram, ego me ea nescire lubens fateor: et vereor ne promissores isti perinde sint ignari, ac sum ego.* =

Haec sunt quae de podagra non nova, sed ut optima ab auctoribus excerpiebam. Si in hisce expendendis alicubi defecisse industria mea visa fuerit, veniam a benevolo Lectore, ea, qua decet, modestia et observantia efflagito.

FINIS.

Digitized by Google

THESES DEFENDENDÆ.

—o—

I.

Altera vaccinatio in illis qui alteram cum successu jam subiierunt supervacanea.

II.

Constitutio individui in evolutionem et decursum variolae vaccinae praecipuum nequaquam exercet influxum.

III.

Secale cornutum suam per nervos in uterum actionem exerit.

IV.

Lithotritia nunquam cystotomiae est praeponenda.

V.

Sectio nervorum in nevralgiis remedium valde incertum.

VI.

Cerebri motus ab arteriis encephalicis pendent.

5835c59

Digitized by Google